Dissertatio medica inauguralis, de epilepsia. Quam, ... / ex auctoritate ... Ewaldi Hollebeek, ... pro gradu doctoratus, ... eruditorum examini submittit Joannes Retenbacher.

Contributors

Retenbacher, Joannes.
Hollebeek, Ewald, 1719-1796.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Gulielmum Boot, 1764.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/nnja8rtu

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

EPILEPSIA.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30418410

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

EWALDI HOLLEBEEK,

THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS IN ACAD. LUGD. BAT. ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, *& Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

JOANNES RETENBACHER,

MONASTERIENSIS.

Ad diem 18. *Julii* MDCCLXIV. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud GULIELMUM BOOT, 1764.

Quomodo enim, quæ terra producuntur, eadem omnino ratione medicæ artis cognitio ſe habere videtur. Natura namque noſtra, agri; Doctorum præcepta, ſeminum rationem habent; Inſtitutio à puero tempeſtivæ ſationi reſpondet. Locus vero diſciplinæ accommodatus, aëri ambienti, ex quo iis quæ è terra naſcuntur alimentum ſuppetit. Diligens ſtudium agricultura eſt. Tempus autem omnia hæc ad plenam nutritionem confirmat.

HIPPOCR. Lex.

NOBILISSIMO

CONSULTISSIMO EXPERTISSIMO

VIRO

D. FERDINANDO SAALMAN,

FELICISSIMO MONASTERII MEDICINÆ PRACTICO.

SERENISSIMI PRINCIPIS

MAXIMILIANI FRIDERICI,

COMITIS DE KÖNIGSEGG,

ARCHIEPISCOPI ET ELECTORIS COLONIENSIS

EPISCOPI MONASTERIENSIS, ETC. ETC.

CONSILIARIO AULICO

ET

ARCHIATRO.

AMICO INTER PAUCOS DILECTISSIMO

HANC DISSERTATIONEM

IN

PUBLICUM

REVERENTIÆ ET AMICITIÆ

TESTIMONIUM

DEDICAT

AUCTOR.

NOBILISSIMO

CONSULTISSIMO EXPERTISSIMO

VIRO

D. FERDINANDO SAALMAN,

FELICISSIMO MONASTERII MEDICINAE PRACTICO,

SERENISSIMI PRINCIPIS

MAXIMILIANI TRIDERICI,

COMITIS DE KÖNIGSECG,

ARCHIEPISCOPI ET ELECTORIS COLONIENSIS

EPISCOPI MONASTERIENSIS, etc. etc.

CONSILIARIO AULICO

ET

ARCHIATRO,

AMICO INTER PAUCOS DILECTISSIMO

HANC DISSERTATIONEM

IN

PUBLICUM

REVERENTIAE et AMICITIAE

TESTIMONIUM

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE EPILEPSIA.

§. I.

Portento ſimilis, & Commiſeratione dignus eſt nervoſi generis affectus, qui in homines ſenſibus interceptis, & violenta partium præter voluntatem concuſſione, ferocitate haud æquali furit, Epilepſiæ nomine ſalutatus: non enim ſolum atrox hoc malum Corpus miris iisque indignis plane modis deformat, ſed & ipſam

ipſam mentem vivo licet in homine a Corpore ſeparatam quaſi abſcondit; terribilem intuentibus aſpectum præbet, medicisque, omnem Artis opem haud raro eludens; triſtiſſimam quandoque crucem figit, hujus ergo pro viribus noſtris deſcriptionem & idæam ſuppeditaturi cum Clariſſimo BOERHAAVIO definimus: quod Epilepſia ſit ſubita hominis proſternatio, amiſſis ſenſibus externis, internisque, cum concuſſu violento, involuntario, muſculorum omnium, vel aliquorum, alterna cum requie, & novo paroxismo.

§. II.

Quæ generaliter pro cauſarum morbum conſtituentium, varietate, dividitur, in *Hæreditariam.* quippe ſi ex majoribus, vel parentibus, labe genitali in prolem devolvatur, in *Idiopathicam.* ſi cauſæ intra ipſum Cerebrum exiſtentes, aliorſum non proveniant, in *Sympathicam*, ſeu, *Deuteropathicam.* Cujus cauſæ, paroxismum producturæ, ex vitio aliarum corporis partium initium capiunt.

§. III.

Omnium tamen (§. II.) enumeratarum ſpecierum, *cauſa proxima*, eſt: nimia cerebri in nervos motorios, nulla in nervos ſenſui deſtinatos actio.

§. IV.

§. IV.

Inter *causas* vero *remotas* ab auctoribus referuntur, labes Hæreditaria, imaginatio Matris gravidæ, per Conspectum epilepticum, puero congenita, mala Cranii configuratio, Caput à naturâ, vel errore in diæta Commisso, à primis annis valde debile, cerebri integumenta, superficies, substantia, ventriculi, male affecti per vulnera, contusiones, abscessus, sanguinem, pus, saniem, ichorem, lympham âcrem, fœtidam, excressentias osseas cranii interni, ejus intropressiones, Cartilagineam sinuum venosorum naturam, fragmenta spinas ossium, instrumenta meningas, cerebrumve lædentia, argentum vivum ad cerebrum quâcunque viâ delatum, cerebrum per inflammationem, corruptionem, erosionem, sphacelum, ossis cariem, bilem atram, gummatibus veneriis male affectum, obstructio venarum jugularium, vel, & sinuum duræ Matris, falciformis præsertim, à sanguine viscido, aut polyposis concrementis, enata; vitiosa intus acta materies scabiei, & tineæ capitis, quæ omnia, comprimendo, irritando, rodendo, cerebrum lædendo, morbi hujus causam gignunt, maximè vero, si his, ut quanto citius insultus recrudescat, accedant: plethora, motus, calor, ebrietas, epulæ, venus, ingenium perspicax, meditatio pro-

 funda,

ſunda, affectus animi ingentes, imaginatrix vis ingens, dolor magnus, periodicus, paſſio Hyſterica, lumbrici, dentitio, odontalgia, atrocior otalgia, humor acris, lac caſeoſum, acre, acidum, infantum, meconium, contagium variolarum, ulceroſa materies alicubi hoſpitans, inedia, crapula, vappidi, & præſertim noxiſſimo carbonum fumo repleti aëris uſus, ſomnus in declivioribus, humilioribus, minusque tranſpirabilibus locis, potulenta, eſculenta, medicamenta, venena acria, ſanies, pus, menſtrua, lochia, urina, intercepta, immoderatior ſanguinis effuſio, per nares, uterum, vel ſedem, materies podagrica, nondum ad inferiora depulſa, fumi ex fomite alicubi hærente, ſenſu auræ elevatæ. ad cerebrum adſcendentes.

§. V.

Verum, cum vix morbus detur, quem artificioſius ſimulare, nefarii, erudita vafritia ſua, norint, quove melius, jactationes illas, & diſtorſiones membrorum, quibus, transeuntium animos in commiſerationem commoveant, nutu voluntatis efficere poſſint, neve ullâ re turpius, quam epilepſia, aut convulſione fictis, decipiamur; inde de *ſignis diagnoſticis*, ut, ut numeroſis, pauca trademus: & quidem, licet ferociſſima omnium epilepſia, absque ullo antegreſſo ſigno, præter

ter opinionem miſeros invadat, frequentius tamen.

Inſtantem paroxismum præcedunt, Capitis gravativus dolor, ſenſuum perturbatio, corporis totius laſſitudo, ſomnus inquietus, inſolitus pavor, cordis palpitatio, tenſio præcordiorum, auræ quaſi frigidæ, à parte quadam corporis, ad ſuperiora verſus cor, & cerebrum adſcendentis ſenſus, miri in aure ſoni, tinnitus, moleſti in naribus odores, ſapores in ore ingrati, ante oculos ſcintillæ, colores multifarii, nebulæ denſæ, caligines, vertigo.

Tuncque vigente malo valido cum clamore plerique corruunt, ſenſus tam in, quam externi abolentur, caput varie diſtorquetur, ſiquidem non nunquam pronum, ceu arcus inflectitur, quando pectori maxilla adhæreſcit: interdum vero in ſcapulas refringitur, quandoque modo in hanc modo in illam partem, ad humeros admovetur; frons agitatur, capilli eriguntur, ſupercilia nonnunquam in glabellam attrahuntur, non nunquam ad tempora vehementer admodum revelluntur, ſub palpebris agitatis, tremulis, ſemiclauſis, oculi tenſi, fixi, contorti ut non, niſi album conſpiciatur, apparent; muſculi faciei convelluntur, malæ rubentes palpitant, maxilla inferior ad ſuperiorem ſummâ vi adducta, mox validiſſime ab iſta abducitur, & ex ore hiante lingua turgens prominet, convulſione dentes interdum colliduntur, artus omnimode torquentur, ſuccutiuntur, pollices

intra manuum volas includuntur, pulſus adeſt vehemens, celer, parvus; reſpiratio cum valido nixu turbatur, impeditur, hacque impedita livet facies, hujus, & cervicis vaſa diſtenduntur, ſpuma viſcida, lenta, cum ſibilo circum labia colligitur, adſunt ructus, vomitus, alvus inſciis excernitur, ejicitur ſemen, urina, ad magnam ſæpius diſtantiam, prorumpit.

Tandem ubi ad mali remiſſionem perveniunt: adſunt, pulſus magnus, languidus, reſpiratio ſtertoroſa liberior, ſymptomatum remiſſio, ſomnus profundus, à quo relevati pallent, capitis gravitate, diſſolutione, languore, membrorum ſegnitie puſilanimitate, ob laſſitudinem, morbive verecundiam contriſtatione premuntur. Idcirco adlegatis ærumnoſis his ſymptomatibus, quæ variæ, in variis epilepſia laborantibus conſpiciuntur.

§. VI.

Ad tradendam *Prognoſin* pervenimus: quam ſane, ſi quis morbi hujus furorem intueatur, ſenſorium commune, à tetro hoc malo affectum, perpendat, ipſam quoque mentem, ac animum, è ſede ſuâ quaſi dimoveri, animo pervolvat, non mitem, at acerbam potius fore facillime agnoſcit, inde quo ad epilepſiam hæreditate ſuſceptam: hæc vel omnino nunquam, vel rariſſimè curatur, vid. Hipp. *Prædict. Lib.*

II.

II. *Sect.* II. *edit. Foës. pag.* 89. *De his vero, qui &c. morbo Sacro dicto correptis, hæc dicenda existimo: qui namque morbos istos connatos habet; eum ab his non facile vindicari posse, compertum est.*

Neve auspicati magis eventus, & sanationis est, cujus causa intra cranium hæret, idiopathica dicta, ut scribit CELSUS *Lib.* II. *Cap.* VIII. *in eodem morbo, si simul totum corpus afficitur, neque ante in partibus aliquis venientis mali sensus est, sed homo ex improviso concidit, cujusque is ætatis est, vix sanescit.*

Qui porro ætate parvulâ hoc morbo valide corripiuntur, plerumque intereunt. HIPP. *de morb. Sacr. pag.* 306.

Levius è contra correpti, superstites evadunt nota ex morbo relicta. *idem. ibid.*

illa demum, quæ circa pubertatis annos non solvitur, haud boni indolis est ut HIPP. *Sect.* III. *Aph.* 28. *quæ vero pueris permanserint circa pubertatem, aut circa menstruorum eruptiones, perseverare solent.*

Si verò post vigesimum ætatis annum accidat, mala isthæc sensetur. *Idem de Morb. Sacr. pag.* 307. *Cum vero vigesimum annum præterierit non amplius prehendit hic morbus, aut certe paucos, aut nullum, nisi pueritiæ familiaris fuerit.*

Pariter quæ per multos annos duravit, inveterata est, medelam vix suscipit. HIPP. *loc. citat. Cum in-*

veteravit morbus, amplius curari non poteſt.

At cujus acceſſiones magis pro ſolito frequentant peſſimum id ipſum ſignum eſt.

Denique ſi mulierem utero gerentem fortis epilepſia invadat, magnum periculum minatur. vid. ETTMUL. *Tom.* III. *Artic. de Epilepſ. pag.* 306.

Ulterius autem ſi in ſtultitiam, memoriæ amiſſionem, ac cæcitatem terminetur, malum.

Malum quoque ſi paraliſis epilepſiæ ſubſequatur. vid. L. B. VAN SWIETEN *Tom.* III. *pag.* 353.

Plane eam in apoplexiam transire mortiferum eſt.

§. VII.

Non eſt autem, ut epilepſia quæcunque pari ſeveritate perpendatur, neve, ut omnibus tetro hoc morbo conflictatis duram adeo prognoſin pronunciemus quin potius obſervatu digniſſimum ſit effatum HIPP. *Aph.* 7. *Sect.* V. & *Sect.* III. *Aph.* 28. quod pueri morbo hoc liberentur, circa annum decimum quartum, aut ſeptimum, annos nimirum pubertatis: quibus flebili antea puero, nova quædam, & vegetior virtus inſpiratur, leviterque diſtentæ mammæ, ac erumpentes menſes, nubiles annos adeſſe teſtantur; quibusque ingens in œconomiâ tam corporis, quam animæ alteratio deprehenditur, ſicque morbi comitialis aut alterius cujusvis non rara ſolutio contingit.

Nec

Nec minus quartana febris, ſicut alios graves morbos, ita quoque morbum hunc penitus tollit: febris enim rite tractata adeo mirifice ſæpe ſalutaris eſt, ut morborum etiam inveteratorum cauſas mutet, ſubigat, de corpore expellat, & tanquam naturæ inſtrumentum certius aliud, potentiusve cum ad ſanandos, tum ad præcavendos morbos, ars vix agnoſcat, vid. SALMUTH *Cent.* II. *Hiſt.* 84. & HIPP. *Epid. Lib.* VI. *Sect.* VI. *pag.* 1190. *Quod ſi antea corripiantur, quartana ſuccedente liberantur.*

Attendendum quoque illud eſt momentum, HIPP. *Præd. Lib.* II. *Sect.* II. *pag.* 93. epilepſiam ſympathicam, ſi rite Curationis rationem, quis tenuerit, haud ægre finiri, & ſanationem admittere, magna enim vero hac in ſpecie, à locis ſitu, ex quo mali fomes prius redundat, à facilitate applicationis remediorum, malique eradicatione differentia obſervatur, etenim optime curatur illa, quæ à manibus, aut pedibus initium ducere videtur, minus, quæ à latere, quæ vero a capite originem trahit omnium hæc moleſtiſſima, & difficillime tollenda eſt.

Ulterius attenta docet experientia: prodeunte, in extimam cutim ſcabie, exulceratione, vel exanthematibus morbum hunc, non raro plane ceſſare, neque deſperandum eſſe, quando malum non diu duravit, ejus inſultus haud adeo longi, ætas potius puerilis, ſique ex vitio primarum viarum, vel per-

peram

peram curato ſubcutaneo morbo provenerit.

Proximo nunc loco, cum vix alia corporis vivi affectio pernoſcatur, cujus major ad functiones omni modo turbandas ſit potentia quave miſeri mortales magis atteruntur.

§. VIII.

Generales qui ex hoc morbo oriuntur effectus animadvertendi erunt. Cerebrum enim tot violentis agitationibus adeo male afficitur, ut tota deinceps vita permaneat ſæpe, memoriæ vacillatio, ingenii, & ſenſuum tarditas, ratiocinii perturbatio, ſtultitia, fatuitas, ſurditas, hemiplegia, corporis totius vaſa violento muſculorum ſpasmo comprimuntur, ſanguine, vi cordis allato, obſtruuntur, in minoribus vaſis craſſiores partes impelluntur, horum inde dilatatio ingens, inflammatio, hujusque ſequelæ, extenuatio, ruptura, liquidorum ruptis vaſis extravaſatio, putredo, musculi, partesve quibus affiguntur convulſione diſtrahuntur, contorquentur, lacerantur, luxantur, ſolvuntur, franguntur, ex quibus difformitates, nunquam emendandæ, conſequi poſſunt, & cum nervi à tantis diſtenſionibus tenſi facillime lædantur, haud raro poſt paroxismum paralyſis, atrophia, debilitas incurabilis ſubſequitur, ulteriora demum mala, ne diſſertatio iſthæc in longum nimis procurrens,

ob

ob id tœdiosa fiat, facillime quis eruere poterit, si irregulares illos motus, & convulsiones, ad varias corporis partes, membranas, viscera, glandulas, organa sensuum applicet, indeque multiplicia circulationis, secretionis, excretionis, aliarumque functionum impedimenta, profluere posse, perspicit.

Quandoque tamen, ut ut ex naturâ suâ periculosus hicce morbus bonos adhuc effectus præstat, quum tempore paroxismi, per tot excitatos motus, per tanta vi dilatata vasa, factasque evacuationes, id, quod irritando morbum constituit, feliciter expellat; sæpe enim sæpius SYDENHAM *Cap.* II. *de Variol. Regul. ann.* 1667. 8. 9. læto omine observavit: in infantibus, cum variolæ in procinctu starent, paroxismo epileptico correptis, statim in conspectum illas prodire, mites, boni moris, lætumve morbi eventum esse, ulterius saburra ex primis viis sursum, deorsum insultu expulsa, aut miasmate noxio ex sanguine profligato hunc morbum abactum plane fore, experiendo notatur.

§. IV.

Ultimo, pro instituti nostri scopo, ad mali epileptici *curationem* diuisam à nobis in ea, quæ in paroxismo, post, & extra illum Medico peragenda incumbant, pervenimus.

Quod paroxismos attinet: rationalis medici eſt, probe cavere, ne æger nimis volatilibus, ſpirituoſis, vel grave olentibus vexetur, neque conſulta ſunt ea, quæ irritando internam narium membranam, ſternutationem, aut titilando, ac vellicando fauces, œſophagum, ventriculum, vomitum movent, quippe quæ in peſſimo hoc ſtatu, ubi tota facies oculis ſanguine ſuffuſis turgida liveſcit, humorum motus magis ad caput derivant, hujus vaſa ad rupturam impetuoſe implent, & haud raro ſternutationis, vomitusve convulſivo motu ipſi exacerbantur, et reſuſcitantur paroxismi.

Præſtat potius: ne caput, vel aliæ corporis partes, perhorrendis hiſce convulſionibus, in dura quædam corpora impingant, pulvinaria aliave quæcunque mollia corpori ſupponere, lingua turgidiſſime prominens, ne colliſis dentibus faucia vulneretur, cochleari, ſubere, lignoque molli, dentibus interpoſito, filoque allegato, caveatur; neve membra inſultu hoc convulſivo diſtorquantur, leviter continenda erunt, convulſa vero vi haud quaquam adhibita, blandiſſime extendi debent, illata enim vi diſtracta ligamenta, & musculi, cruciatus intollerabiles relinquunt, hæcque primaria ſunt, quæ potiſſimum in ipſo paroxismo conferunt.

§. X.

§. X.

Poſt paroxismum, quiescente jam graviori convulſione à tanto labore, & cruciatibus fatigatis, debilibus, & ſtupidis epilepticis vires amiſſas reſtituere medentis officium eſt, qui ad hunc ſcopum perveniet, imperato animi, ac corporis quiete, victu bono, eupepto, propinatis, quæ torpentes ſpiritus excitant remediis, inter quæ celebrantur: meliſſ. rosmarin., lavendul., majoran., rut., puleg. ſuccin., galban., ambr. griſ. ſpirit. ſal ammon. Spir. carminativ. ſalis vol. oleoſ., & enumeratarum herbarum aliarumve ſimilis virtutis præparata olea aquæ ſyrupi, quibus ſelectis formulæ ægrorum guſtui quam aptiſſimæ à medico præſcribi poterunt.

§. XI.

Tum tandem, ſicut ex antecedentibus (§. IV.) perſpicere licet, cauſas dirum hunc morbum excitantes, mirum variare ita nunc identidem extra paroxismum, tum ad avertendas præſervative, tum ad tollendas in cura differentes has cauſas, & in propinandis convenientibus remediis, judicium paulo exactius adhibere, neque eundem in ſingulis curationis tenorem ſervare, prudentes eſſe medici colligi, poteſt,

quandocunque igitur morbus hicce labe hæreditaria, imaginatione matris vel mala cranii configuratione ſuſceptus, congenitusque fuit, omnibus omnino vere medicis latentiſſimam hujus diatheſin, cauſam nempe proëgumenam, pernoſcere, & eradicare impoſſibile videtur, facilior tamen, & expeditor, etſi & id non levibus prematur difficultatibus, eſt, morbum hunc præſervandi, avertendi methodus, utpote quæ potiſſimum in cauſis hujus morbi remotioribus, dictis, declinandis, & avertendis conſiſtit, omnes ergo potentiæ nocentes, in vita humana adeo multivariæ, in ſingulis quandoque epilepticis diverſæ, quantum ægrotis poſſibile, vitentur, diæta in cibo & potu ſtrictiſſime obſervetur, & ab animi affectibus ac ab uſu veneris maxime immoderatæ, ægroto temperandum eſt, ſubito namque exhaurit ſubtiliores ſpiritus, caput debilitat, mentem ac ſenſus infirmat, atque corpus convellit, porro uſus ſex rerum non naturalium, quid boni, malive inde eveniat, e quonam loco paroxismus primo inſtet, quibusnam à principio, ad finem usque ſymptomatibus ſtipetur, multaque alia æque nocentia, ac juvantia à medico ſedulo obſervari debent & teſte Hipp. *Aph.* 45. *Sect.* II. triſtiſſimo hoc in affectu regionis, aëris, victusque mutatio de qua Aretæus. *morb. diutur. Lib.* I. *Pag.* 121: quoniam ſi uſitatus malo victus, in quo morbus alitur, deſierit, non ulterius hominem infeſtat, ut etiam mutatio

magna

magna corpori, per fortiora medicamenta inducta, ſi non ad perfectam ſeminii deletionem plurimum tamen, ad impediendam hujus maturationem conducit.

§. XII.

Quod ſi vero à capitis debilitate, à naturâ, vel errore in diæta commiſſo orta, originem traxerit, nihil in genere præter Corroborantia, cephalica, nervina, certius, & præſtabilius eſt, quo nomine Angelic. Abſynth, Aneth, Thym, Rut, Menth, cort. peruv. cinamom, Cariophyl aromat, maſtich, ſtyrax, caſtor, aliaque, ſub forma præſertim externa capiti applicata plurimum commendantur, vitando in genere laxantia quæcunque, aërem præprimis nebuloſum, humidum, frigidum, omnesve ejus inclementias, & inſuetudines, neve ægro in tali loco dormiendum erit.

Ubi autem cerebri integumentorum, vel propriæ ſubſtantiæ læſio epilepſiæ fons exiſtit, quicunque tum ex medicis hunc morbum, cujus cauſas permultas admodum eſſe, ex prioribus apparet, prudenter avertere vult, is ejusmodi remedia præſcribere, & in uſum ducere debet, quæ in genere morbis, qui ex læſo encæphalo naſcuntur, præcavendis dicata ſunt, quamobrem digeſtivis, antiſepticis, abſtergentibus loca in cranio læſa depurentur, impetus humorum, à capite, ne liquidorum in cranium affluxus augea-

tur, venæ ſectione purgantibus revellatur, diſcutiantur in cranio hærentia diluentibus, reſolventibus, attenuantibus, ut: Chamomel., Samb., Melilot., fœnicul petroſel lign ſantal ſimilibusque, viæ, per quas natura noxios quandoque humores expellit, laxantibus, attrahentibus, aperiantur, aut fonticulo inuſtione, fiſtula, epiſpaſtico, Cranii perterebratione, ut caput acribus quibuscunque liberetur, novæ quædam viæ parentur.

§. XIII.

Quandocunque venarum jugularium, vel & ſinuum duræ matris obſtructione gignitur, hoc in caſu, aperientibus, attenuantibus, reſolventibus medicamentis, ut & alimentis fluxilitatem reſtituere, ac conſervare curationis cardo eſt, omnium vero medicaminum virtutem aquæ minerales longiſſime ſuperant, quippe quæ humores coagulatos, ſpiſſos, viſcidosque optime reſolvunt, impuros per excretiones proſcribunt, venarumque infarctus feliciter referant, quin & interdum haud alienum eſt, venas jugulares externas aperire, & ſtagnanti in ſinibus duræ matris ſanguini liberiorem exitum, ac motum, conſiliare.

Quod ſi plethora, motus, omniaque circuitum ſanguinis accelerando, vaſa cerebri diſtendentia, in corpore orta fuerint, tunc ſanguinis miſſione, præ-

ſer-

ſertim circa talum inſtituta, revulſione a capite ad inferiores partes, venarum hæmorrhoidalium apertura, quiete, refrigerantibus, auctum ſanguinis circuitum compeſſere, vaſisque debilitatis deinceps robur, atque tonum ſuum reſtituere ſtudendum eſt.

§. XIV.

Quum denique dolores magni ſenſorium commune irritando, convulſiones, & epilepſiam excitent, Anodyna, quæ diluendo, humectando, acre emendando, doloris cauſas tollunt, quin & narcotica qualia: flor. ſemin. papav. alb. Rhœd. poëon. diacod. opiata quælibet, ut ſenſus acumen obtundatur, adhibere oportet.

Et cum ſæpius à paſſione Hyſtericâ ordiatur, hac antihyſtericis profligata, ut Myrrh. Galb. Aſſ. fætida. Caſtor. Succin., Rut. Cort. Peruv. Limat. Mart. quæ mirandas in Confortandis, & invigorandis nervis, vires nonnunquam habere videtur, morbus in totum deletur.

Si lumbrici, dentitio, lac caſeoſum; acre, primarum viarum tractum in infantibus infarciens, genuina hujus morbi cauſa fuerint, Anthelminticis: inter quæ tanacet, ſemina Santonic. Aloëtica, & mercurialia primas tenent, neque minus Valerian. Sylveſt. magnam in hoc caſu virtutem præſtante, nidum vermium.

mium deſtruere, inciſionem aptam gingivarum, emollientia, refrigerantia, ut inflamatio, dolorque à lenta per dentem dilaceratione orta, tollatur; diſſolventia antiacida, lubricantia, ſimiliterve leniter purgantia, quibus primæ viæ à ſaburra iſthac liberentur, admovere conducit.

Si porro ſuppreſſæ quædam ſani, vel morboſi humoris excretiones, cauſam epilepſiæ foveant, præſtat, materiem excernendam é ſedibus ſuis fixis evocare, vaſa, per quæ prævia naturâ transmittitur, aperire, vimque moventem, ac expellentem incitare.

§. XV.

Tandem nec raro evenit ſenſu auræ ad Cerebrum tendentis, ex alia qualibet corporis parte ægrotis, interve eos; debilibus magis, quam robuſtis, inſtantem paroxismum comminari, egregie tum, ne genus nervoſum, a tali irritatione ulterius adeo turbetur, roborantia, interve ea motus, ac exercitium Corporis, viscus pariter quercinus aliave in libris de Materie medica facillime invenienda apprime conferunt, quæ vero ſi neque ad Curationem validi hujus morbi ſufficiant ligatura, ne loci fomes cerebrum afficere poſſit, cauſticis, veſicatoriis, ulceribus diu manantibus, ut maligna hujus mali ſabura e corpore edu-

ducatur, morbum debellare, vel apta incisione ad integram nervi destructionem in totum eradicare oportet.

Hæc num de vera, ac genuina feralis hujus morbi medendi methodo sufficiant, quum protrahere diutius sermonem, specialiter magis causas exponere, harum curationem ulterius describere, B. L. nauseæ, atque tœdii ergo, supervacuum, & inutile duco à male itaque fundatorum hominum judicio inventa adversus hunc morbum specifica, cum multoties inutilia, sæpius & vix detestanda satis sint, illis, qui ad hunc usque miseriæ terminum pervenere relinquo; veri enim medici est: medicamina, non vero piacula quærere.

Hisce ergo subsistens, si in magnis voluisse sat est, conatibus meis, & laboribus, qui faveant, non defuturos spero, quibus, quæ scripsi, qualiacunque fuerint, offero, &

VENIAM PRO LAUDE PETO.